

C A P. VI.

Quid Judæi de versionibus.

Canones isti, de lectione ac interpretatione, quos citavimus, an Judæos, Palæstinæos & Babylonios solum obligant, an non & Judæos alios totamque gentem ubique sparsam? In utroque Talmude sunt isti Canones; & prout aliæ omnes traditiones in isto codice compactæ totam gentem obligant, nisi ubi ratio temporum & diversitas locorum dispensant; sic quare non hæc etiam de lectione legis & Prophetarum in Synagogis ex textu Hebræo?

Zelo & veneratione summâ ferebatur universa gens Judaica, erga textum Hebræum, quem negligere in Synagogis illis erat religio: lectus est iste in Synagogis Hebræorum, & redditus frequentissimè ipsissimis verbis *Onkelosi* & *Jonathanis*: & cur non potius Targumistæ ipsi lecti & res acta per pauciores? Quia nullo modò negligendus est textus originarius: & quare in hæc refrigescerent *Hellenistæ* magis quàm *Hebræi*? quis dixerit!

Quo magis ergò zelo & honore prosequerentur textum Hebræum, eo minùs grata illis versio ejus in linguam aliam.

Nam tantum honoris, virtutis & dignitatis à textu sacro decessisse sunt arbitrati, in quantum recessum est ab istâ linguâ, aut ab istis litteris.

1. In isto Canone: **כְּתוּבֵי קֹדֶשׁ מִטְּמְאִים אֵת הַיְדִיּוֹת** *Libri sacri polluunt manus*, quo, ut ajunt, dignitas istorum librorum astruitur, si fiat aliqua immutatio linguæ vel characterum, in tantum eorum nobilitatem diminutam credunt. *Jadaim* cap. 4. hal. 5. Nam *Targum* si scribatur *Hebraicè*, & *Hebræa* si scribantur *Targumicè*, & *scriptura transfluviana*, non polluunt manus: & quidem libri isti non polluunt manus, nisi scribantur *Hebraicè*.

2. Disputatur in *Schabb.* fol. 115. 1. *An liceat libros sacros eripere ab incendio Sabbato*, cum illud fieri non potuerit absque aliquo labore? Et eos *Hebraicè* scriptos eripiendos esse, concluditur

Mm

absque